

/ Ill<sup>me</sup> ac R<sup>me</sup> Cardinalis

Cogimur respondere identidem iis de rebus, de quibus certo praestaret silere tam aerumnoso tempore, et quia Ill<sup>ma</sup> D. Vestra, quae se murum opponit iamdiu pro domo Dei, citatur passim et proponitur tanquam lapis offensionis, et petra scandali, in materia de potestate indirecta, et autoritate supra concilium, debui ostendere perspicue Ill<sup>mo</sup> Principi Condaeo, ad id me compellente Ill<sup>mo</sup> Duce Nivernensi, nihil absonum, nihil periculosum, nihil contra rectam rationem dici ab Ill<sup>ma</sup> V. D<sup>ne</sup>; cumque non vacet et per genium, aut ingenium, non liceat eiusmodi Principibus viris libros volutare et explanationes tractatus expendere, redegì in paucas propositiones totam illam disceptationem. Videbit, si placet, Ill<sup>ma</sup> V. D<sup>tio</sup> utrum bene stent omnia, necne, ut post eius responsum, quod avide praestolabimur, iis satis esse et facere possimus, qui vitio vertunt silentium, et vulgo dicunt scelus est pavidum, metuitque videri. Prohibuit sapientissimus R. P. Noster Generalis ne quid deinceps promatur aut evulgetur a nostris Roma inconsulta, ac Vestra in primis Ill<sup>ma</sup> Dominatione quod praestamus eo libentius, cum satis constet duce tanto atque auspice tanto, nec in ista nec in alia ulla in materia aberrari posse.

Parisiis, 26 Ianuarii 1613.

Servus humillimus et addictissimus in D<sup>no</sup>

Petrus Cotonus.

-----  
Ill<sup>mo</sup> ac R<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> D. Card<sup>li</sup> Bellarmino. Romam.